Fetus quid? V. 440. ejus formatio quid? V. 64. ejus rudimenta an ab initio mundi jam delineata & formata fuerint III. 586. V. 91. 572. ejus rudimentum in ovulo materno ante conceptionem praeexiſtere V. 395. de fetus in utero contenti conformatione partium paulatina & naturali V. 114. ejus velox in utero incrementum inde deducitur quod una aorta a duplici cordis ventriculo inpellatur V. 680. fetus in principio plures ſemper habet nervos II. 898.

--- fetus tertii aut quarti menſis in ovo reperti deſcriptio V. 286.

--- humanorum & brutinorum fetuum ad matres proportio ratione ponderis VI. 785.

--- quam primum ad ſceletopoeiam aptus ſit VI. 59.

--- de ejus nutritione in utero V. 481. de ejus nutritione in primis ortus initiis V. 112. an ſui ſanguinis ſolus opifex V. 511. an illi ſanguis maternus alimento V. 503. ſqq. eum in utero non ſuis ſumtibus vivere ſed nexum habere cum matre V. 681. ſanguinem non ſubminiſtrari II. 581. ſed eum formari a ſucco lacteo uteri materni III. 517. ſq. circulatione ſanguinis inter fetum & matrem IV. 551. communicationem nutrimenti materni non fieri per oſcula vaſorum placentae cum orificiis ultimarum arteriolarum uterinarum commiſſa V. 268. fetum in utero propriam & a matris vita diſtinctam vivere vitam V. 483. de adſumti alimenti digeſtione in utero V. 440. ſqq.

--- fetum per os nutriri non per funiculum V. 492. nutritio per os in dubium vocatur V. 128. fetus tertii aut quarti menſis in ovo reperti os clauſum fuit V. 286. fetus in vtero viſus cujus lingua ex ore propendebat, & os amnii liquore plenum VII. P. II. 322. umbilicali funiculo deſtitutorum exempla V. 470.

Fetum urinam non reddere V. 497.

--- faeces fetus *vid.* Meconium.

--- *ſitus in utero* VII. P. II. 317. ad ejus naturalem in utero materno *ſitum* quaenam requirantur ex parte matris & fetus V. 322. ejus mutationes ratione ſitus, quo modo contingant V. 299. cur ſecundum naturam faciem ſpinae dorſi matris obverſam habeat V. 326. ejus caput ſecundum naturam ſemper inferiorem partem uteri per totam geſtationem occupare V. 326. non vero in elatiori ejus parte ad ſeptimum usque menſem haerere V. 327. fetus tertii aut quarti menſis in ovo reperti poſitura V. 286.

--- nati & non nati differentia anatomica V. 732. differentia ratione cordis VI. 114. orbitae fetus differentia ab adulti VII. P. II. 74. fetus jam nati & perfecti differentia ab adulto VII. P. II. 313.

Fetus:

Fetus: cauſae fetum ad partum determinantes III. 535.
--- fetum ante quadraginta ſeptimanarum ſpatium plene abſolutum nunquam edi perfectum VII. P. II. 316.
--- eum reſpirare in utero V. 549.
--- diſtinctio inter fetum vitalem & non vitalem item inter animatum & inanimatum nullius valoris eſſe V. 560.
--- ad fetum debilem excitandum utile eſſe ſanguinem ex funiculo exprimere V. 655. 704.
--- in utero mortui ſigna V. 642. ſignum certum non eſſe defectum pulſus in fune V. 703. fetus, qui ob volumen capitis naſci haud potuit, in utero defuncti ſigna VI. 327. ſq.
Fetum vivum in lucem fuiſſe editum quaenam ſigna demonſtrent V. 706. qualis funiculis in his adpareat V. 705. in his urina vacua eſt V. 686.
--- ſuffocati ſignum a vaſis durae matris turgentibus II. 824.
--- dorſo orificio uteri incumbens partus difficilis cauſa V. 122. fetus, qui diutius ad pelvis oſſa ſtagnavit, faciem nigram dein eo venuſtiorem fieri VII. P. II. 316.
--- in utero mortuus, cujus caput nimis magnum fuit, quo modo extrahendus VI. 330.
--- extra uterum conceptorum exempla V. 310. in abdomine repertus V. 444. fetus oſſa ex ulcere abdominis prodierunt V. 363.
Fetum ſanguine pleni inventi matre exſangui V. 507.
--- acephali V. 469.
--- fetus aſciticus, fere maturus, ſub partu extinctus VII. 483.
--- diſpari magnitudine in lucem editorum exempla V. 371.
--- gravidorum exempla III. 586.
--- membranae fetum in utero ambientes V. 100. 448. VII. P. II. 317. ſq. eas cum ovulo ante impraegnationem jam exiſtere V. 488. cur pluribus membranis contineatur V. 350. fetus membranae hydropicae viſae VII. P. II. 323.
--- uncialis cum maximis ſecundinis V. 691.
Fibram omnium partium ſolidarum eſſe communem materiem, probatur, illiusque examen inſtituitur VI. 11.
--- earum vibratio nativa & adventitia IV. 416. fibra elaſtica quo modo contrahi & diſtrahi poſſit absque divulſione II. 616.
Fibrae oſſium *vid.* Oſſa.
Fibulae proceſſus VI. 305. foramen pro tranſitu vaſis VI. 378. ejus inferior articulus VI. 426. 505.
Finis partium a cauſa diſtinguendus eſt VII. P. II. 289.
Fiſſurae cranii *vid.* Cranium.
Fiſſura orbitalis inferior ſeu ſpheno-maxillaris VII. P. II. 72.
Fiſtulae Bellinianae *vid.* Renum ſtructura.
Fiſtula lacrumalis quid? IV. 91. ejus differentia ab aliis adfectibus *ibid.* ſigna IV. 92. prognoſis IV. 93. cauſae IV. 91. cauſa

I aliquan-

aliquando eſt paralyſis punctorum lacrumalium VII. P. II. 130. cura IV. 94. cura ea, qua os unguis perforatur cum trepidatione inſtituenda eſt IV. 51. in ea cauterium actuale adhibendum non eſſe IV. 93. ſqq. ſyringae tubulus ante quam inmittatur prius naturali calore ſemper inbui debet VII. P. II. 130.

Flammula vitalis extincta II. 346.

Flatus oris: experimenta circa eum VII. 367.

Flatus in inteſtinis quo modo generentur III. 164. quo modo in ileo I. 533. motum tonicum inteſtinorum relaxant III. 163.

--- an folle babrili inpellendus ſit in anum in valvulo VII. 125.

--- juxta linguae frenulum inmiſſus aliquando verſus mentum & ad poſteriorem linguae partem urgeri poteſt I. 49.

Fletus II. 902. ejus phaenomena II. 787. ſq. IV. 56. unde praecordiorum anxietas in fletu II. 906. fit aliquando ſine adfectu animi II. 902. non tantum cietur a doloribus IV. 68. cur homini tantum datus IV. 71.

Flexor longus pollicis pedis VI. 560. 771. in ejus capſula liquor albidus p. n. repertus VII. 133.

Flexor brevis pollicis pedis VI. 560.

Flexor ſecundi internodii digitorum pedis VI. 557.

Flexor digitorum pedis profundus VI. 771.

Flexor proprius digiti minimi pedis VI. 738.

Flos: flores continere organa genitalia animalium organis analoga VI. 656. quaenam illa ſint 657.

Floſculi quid? VI. 659.

Flogeri experimenta ſtatica III. 614.

Fluidum quid? II. 613. IV. 565. quo modo differat a ſolido VI. 270.

--- eorum vis in viſcera quid? II. 613.

--- ea triplici motu gaudere III. 681. fluidum omne intra vias circulationis naturaliter contentum ſemper antrorſum progreditur II. 734. quaenam in fluidis quibuscunque motis obſerventur VII. 346. per canalem moti partes circumrotantur II. 736. per canalem moti velocitas ad latera minor in axi maxima eſt II. 736. 744. fluidum ex vaſe ampliori per tubum anguſtiorem ſed ubique ejusdem diametri prorumpens nullam exercet preſſionem in latera VII. 346. quo tardior fit motus fluidi per canalem quemcunque decurrentis, eo major erit preſſio lateralis VII. 539. fluidi preſſio lateralis eſt in ratione compoſita velocitatis & gravitatis ſpecificae particularum II. 745. motum liquoris tenacioris in canale plicato ratione velocitatis diverſum eſſe a motu perfecte fluidi in canale ſimili II. 502. ſq. fluidi in exitu ex canaliculo plicato velocitas quo modo ſe habeat ad velocitatem in introitu II. 523.

Fluido-

Fluidorum interſtitia a tempeſtatum mutationibus varie mutantur III. 664.
--- fluidum omne in corpore ſtagnans cito corrumpitur II. 735. eorum denſitas minor & major laedunt ſanitatem III. 669. ſq. eorum vitia in morbis ſaepe injuſte adcuſari VII. 317.
--- eorum excretio duplex eſt vel ſenſibilis vel inſenſibilis III. 685.
--- fluida corporis reparanda eſſe III. 685. & magis quam ſolida III. 692. exhalantium diſpendia continuo chyli acceſſu reparari III. 693.
--- fluidorum nutritioni ſervientium natura & qualitas III. 699. fluida nutritia quo modo ſolidis adſimilentur III. 706.
Fluidum nerveum *vid.* Spiritus animales.
Fluor albus eſt cauſa ſterilitatis V. 250.
Fluxus hepaticus *vid.* Hepaticus fluxus.
Foecundatio ovuli qua ratione fiat per ſemen maſculum V. 347.
Foecunditatis exempla absque praegreſſis menſtruis V. 214.
Foelix de motu periſtaltico inteſtinorum VII. 68.
Foetor oris & corporis tempore menſtrui fluxus V. 186. foetor oris unde? II. 685. pedum foetor unde? *ibid.*
Foliorum coſtulae vaſa ſunt I. 20.
Folii (*Caecilii*) Nova auris internae delineatio IV. 365. proceſſum mallei longiſſimum invenit IV. 367. 377.
Fomenta *vid.* Fotus.
Fontanella non ſolum in vertice ſed & in aliis capitis regionibus reperitur VI. 314. 689. eam pulſare certum eſt II. 777.
Foramen caecum linguae I. 124. ejus uſus I. 125. parietes hujus foraminis obductos eſſe papillulis villoſis ſentientibus VI. 109.
Foramen ovale cordis *vid.* Cordis foramen ovale.
Foramen ovale in organo auditus IV. 345. 383. ejus icon IV. 367. 397. uſus 383.
Foramen rotundum IV. 345. 367. icon 367. uſus 383.
Foramen tympani *vid.* Tympani foramen.
Fotuum externe adplicatorum actio III. 648. 652. fotus ſpirituoſi inebriationem aliquando producunt III. 644.
Fourneau (*Iacob.*) An pili ſint partes corporis viventes III. 503. An perturbationes motum cordis ſanguinisque augeant, minuant IV. 413.
Fractura oſſium *vid.* Oſſium fractura.
Francus de Frankenau (Ge. Frid.) diſſ. Diapedeſis reſtituta II. 121. de via alimentorum & chyli VII. 197.
Fraxini tinctura hydropem ſanavit VII. 140.
Freindii ſyſtema de fluxu menſtruo cenſuris notatur V. 191. 208.
Frenulum linguae *vid.* Linguae frenulum.

Frictiones quo modo agant III. 651.
Frigus poſt coitum unde oriatur III. 514. unde in quibusdam animi adfectibus II. 802. unde in ileo I. 539. frigoris effectus in intermittentibus II. 179. effectus in inhalationem III. 640. frigus oſcitationis cauſa IV. 741. in ore & lingua inpedit ſaporum perceptionem I. 160. frigus nimium corpori pituitam indurat VII. 379. quo modo id fiat VII. 403.
Frontis os: ejus limites inferiores IV. 26. ſq. quid ad orbitam conferat VII. P. II. 69. ejus apophyſes VI. 272.
--- *ſinuum* deſcriptio IV. 23. deſcribuntur ex infante IV. 34. inter duplicaturam oſſis reperiri IV. 26. dextrum ſiniſtro non ampliorem eſſe IV. 24. paries horum ſinuum intermedius IV. 25. cavitas alia pene ſinum frontalem viſa deſcribitur IV. 24. etiam adſunt in iis hominibus quibus frons per ſuturam ſagittalem in nares usque diviſa eſt IV. 25. in quibusdam plane deficiunt *ibid.* an medullam intus contineant IV. 38. ſq.
--- de eorum *vulneribus* IV. 48. horum vulnerum chirurgia 49. cur minus ſint funeſta VI. 125.
--- *abſceſſus* VI. 697.
Frontalis muſculus VI. 608. quo modo ſupercilia moveat VII. P. II. 135.
Frontalium & occipitalium *arteriarum* anaſtomoſes inter ſe II. 38.
Fuliginis ſpiritus pituitam non fundit VII. 380. 401.
Functio C. H. quid? II. 270. ubi in noſtro corpore functio quaedam inpeditur, non id quod inpedit eſt cauſa, a qua haec functio pendet VII. 545.
Fungus cerebri ſine dolore abſcindi & rodentibus auferri poteſt VII. 464.
Funiculus umbilicalis *vid.* Umbilicalis funiculus.

G.

Galenus: ejus ſcientia anatomica VI. 469. quid de vaſis lacteis ſcripſerit I. 610. ejus ſententia de pulſu cerebri II. 777. quo modo nervos capitis numeraverit II. 943. ſtatices auctor non eſt III. 591. multa habet de perſpiratione indeque multa hauſiſſe videtur Sanctorius III. 593. membranam tympani ipſi cognitam fuiſſe IV. 340. 373. itemque mediaſtinum poſticum IV. 519. quod optime deſcripſit IV. 522. quid de ſceleto referat VI. 55.
Gallinaginis caput: ſinus novus Morgagni in eo VI. 724.
Ganglia nervorum: eorum a plexubus differentia II. 891. eorum ſtructura II. 883. 968. uſus II. 899. 968.
--- nulla ſunt in nervo vago II. 942. ſq. hydatidibus obſeſſa in hyſterica II. 904.
--- ganglion *nervi intercoſtalis* minutum ad angulum carotidis internae

ternae ab externa ſecedentis II. 950. IV. 431. ganglia ejus in abdomine & pelvi II. 934. 937. 891. ſq. ganglia intercoſtalis in acceſſu dorſalium reperiunda II. 887. ganglion lumbare II. 935. 936.

Ganglia nervorum: ganglion thoracicum primum II. 886.

--- ganglia cervicalia *vid.* Cervicale ganglion.

--- plexus hepatici II. 888.

--- plexus menſenterici ſuperioris II. 890.

--- renalia IV. 432.

Gangraena demortuae humores omnes turgida repertae I. 730.

Garengeoti figura ventriculorum cerebri lateralium rejicitur II. 847.

Gargarizationum actio III. 648.

Gaſtricae glandulae *vid.* Ventriculi glandulae.

Gaſtricus liquor. ejus partes conſtituentes II. 684.

Gaſtrica vaſa *vid.* Ventriculi vaſa.

Gaſtro-epiploica vaſa ex ſplenicis III. 225.

Gaſtroepiploicarum arteriarum rami ad omentum VII. 498.

Gaſtroëpiploica vena dextra III. 196. ſiniſtra 198.

Gaſtrocnemius muſculus VI. 553.

Gaudii phaenomena explicantur IV 444.

Gemellorum diſparis magnitudinis exempla V. 353. diſparis magnitudinis unica continebantur ſecundina V. 373. gemellorum diſtinctis amniis incluſorum communi vero placenta, chorio & allantoide inſtructorum exempla V. 103. 691. gemellorum placentas arteriis ſuis inter ſe communicare V. 684. ſingulo ſuum eſſe ovum VII. P. II. 319.

Gemelli muſculi VI. 541.

Genae quadratus muſculus I. 200. ſq. VI. 609.

Generatio quid? V. 339. placita veterum circa generationem V. 396. ubinam reperiunda V. 347. generationis principium activum & paſſivum quale adſignaverint autores V. 68. ſq.

--- ad eam duplicem requiri ſexum V. 111.

--- animalium omnium futurorum ſtamina prima ab initio creata eſſe V. 91. 572. eaque cuncta in Evae teſtibus latuiſſe III. 586.

--- ejus duo actus diſtincti, conceptio & formatio V. 64.

--- naturae vires in generationis opere V. 78.

--- generationis opus conſiſtere in augmento paulatino corpuſculi organici ſenſus prius effugientis V. 77.

--- eorum animalium generatio, quorum coitus in ſolo contactu conſiſtit V. 85.

Generatio viviparorum in ovo: ſententia Drelincurtii proponitur V. 165. ſqq. generatio haec adſeritur V. 513. ſq. & refellitur V. 141. ſqq.

Generatio ſponte naſcentium explicatur V. 83.

--- liberi cur parentum ſimiles V. 86.

Genioglosſi muſculi I. 137. 203. 205. VII. 204. ſuccutiunt glandulam ſublingualem I. 49.

Geniohyoidei muſculi I. 107. VII. 207. ſuccutiunt glandulam ſublingualem I. 49.

Genitalium organorum utriusque ſexus aptitudinem non pendere a modo ligati funiculi umbilicalis V. 598.

--- *organa maſculina* V. 92. 339. quo modo ſanguis per ea circuletur II. 580. eorum uſus V. 342.

--- *organa feminina* V. 95. 344. fetus perfecti icone exprimuntur VII. P. II. 336. quo modo ſanguis per ea circuletur II. 580. eorum uſus V. 346.

--- eorum error a conſueto ſitu in femina hydropica VII. 144.

Genu articulatio VI. 215. 425. 481. glandulae VI. 425. ligamenta VI. 483. uſus ligamentorum in flexu articuli 497. in extenſione 501. pinguedinis in interno articulo facies VI. 485.

Germinatio plantarum annua V. 84.

Gibboſi: in iis corpora vertebrarum ſpinae dorſi deſtructa VI. 234.

Gingivarum formatio VI. 128. latera earum unde ſalivam habeant I. 56.

Glandulae etymologia II. 691. 712. earum adminiſtratio VI. 33. definitio II. 691. VI. 412. earum catalogus II. 713. ortus in fetu III. 522.

--- diſtinctio in glandulas & glandulosa corpora II. 696.

Glandulae: earum *diviſio* in univerſum II. 696. II. 712. 714. ſq. IV. 703.

--- diviſio in ſimplices ſeu ſolitarias, & compoſitas ſeu connexas II. 697. compoſitarum diſtinctio in congregatas, conglutinatas & conglomeratas II. 698.

--- diſtinctio in conglobatas & conglomeratas, quae rejicitur II. 697.

--- in nutritias, reductrices, & excretrices diſtinctio II. 705.

--- ſimpliciſſimarum ſtructura I. 123. materies in illis contenta unde I. 124.

--- *conglobata* quid II. 697. quaenam ſint II. 698. carnearum conglobatarum ſtructura II. 717. glandularum ſtructuram vaſculoſam eſſe III. 522. extremitatibus vaſorum complicatis II. 693. arteriae, venae, & nervi in omnes inſeruntur II. 694. in conglobatis arteriae per earum tunicas repentes non ſunt admodum plicatae II. 754. ad glandularum conformationem materiam glutinoſam, vaſa unientem adponi II. 694. putrefactae fibroſae adparent *ibid.* in qualibet ſingularis pororum conformatio obſervatur II. 695. glandulas conglobatas non ſolum emittere ſed etiam recipere vaſa lymphatica III. 527. ſq. plerumque cavitatem in medio habent II. 697. cavitas ſeu rima figura & loco differt II. 719. & eſt initium ductuum ſecretoriorum II. 693. cavitatem moventes fibrae II. 718.

718. fibrae an cavae ſint *ibid.* glandulam omnem eſſe organon muſculare II. 717. e glandula diſſecta erumpentem ſuccum non ex lymphaticis proſilire *ibid.* carneae conglobatae minores continent glandulas II. 719. conglobatae omnes renibus forte ſimiles ſunt II. 698.

Glandula conglomerata quid? II. 697. earum deſcriptio II. 701. ductus *ibid.* tenuem ſecernunt lympham II. 702. liquor per arteriam in conglomeratas injectus eas facit a ſe invicem recedere II. 697.

--- *conglutinatarum* deſcriptio & ductus II. 699. ſq.

--- *congregatarum* deſcriptio & ductus II. 700. ſq. materiam viſcidiorem ſecernunt II. 701.

--- *nutritiae* rejiciuntur III. 698.

--- *uſus* II. 702. ſqq. 723. in quantum ſint organum ſecretorium II. 755. glandulas omnes ſecernere aliquid a ſanguine II. 706. & maſſam ſanguineam purificare II. 707. quo modo in liquidorum ſecretione agant II. 653. earum vaſa excretoria inſigniter variant II. 696. 699. ductus excretorii nullas habent valvulas II. 116. glandulae an nervis inſerviant II. 705. ad vaſa firmanda non unice factas eſſe II. 703. ſq. an humiditates in ſe bibant II. 704. partes humectant II. 705.

--- vaſa & nervi II. 719. vaſa nutritia II. 721.

--- tunicae II. 716.

Glanduloſa loca adipe plurima tecta ſunt III. 282. & in obeſis a pinguedine connectuntur III. 107.

Glandularum morbi II. 726. quo modo obſtruantur *ibid.* earum induratio univerſalis III. 74. interdum cartilagineae viſae fuerunt II. 727. aliquando materiam ſabuloſo terream p. n. continent *ibid.* lapideae in femina decrepita I. 82. menſenterii & thoracis induratae in ſubjecto ſcrophulis defuncto VI. 723.

Glandulae ſubcutaneae *vid.* Cutis glandulae.

Glandulae Haverſii: earum natura, ſitus, vaſa VI. 430. de natura liquoris quem hae glandulae fundunt VI. 431. quo modo hic liquor cum pinguedine miſceri queat VI. 432. earum proportio ad articulos VI. 435. *conf.* Articulorum axungia.

Glandula pinealis *vid.* Pinealis glandula.

Glandulae Meibomianae *vid.* Palpebrae.

Glandula lacrumalis *vid.* Lacrumalis glandula.

Glandulae ſublinguales, hypoglottides ſeu raninae *vid.* Sublinguales glandulae.

Glandulae a latere ſublingualium poſitae earumque ductus I. 51.

Glandulae circumlinguales quaenam dicantur I. 7.

Glandularum in ore diſperſarum varii ductus I. 58. ſq.

Glandula maxillaris ſeu Whartoniana I. 5. ſqq. 34. VII. 205. ejus involucra & nexus I. 35. a quibus

bus ſuccutiatur muſculis *ibid.* maxillaris glandula ſcirrhoſa excisa VI. 744. ejus ductus *vid.* Ductus ſalivalis Whartoni.

Glandulae maxillari adpendentes conglobatae I. 35.

Glandulae axillares *vid.* Axillares glandulae.

Glandulae renales *vid.* Renes ſuccenturiati.

Glandulae lumbares, ſacrae ſive iliacae *vid.* Lumbares glandulae.

Glandulae inguinales: I. 7. inguinalium & ſubaxillarium diverſitas *ibid.* non omnes conglobatae ſunt II. 697. in glandula inguinali canis materia glutinoſa viſa I. 815.

Glandulae Cowperi III. 327. V. 341. ſaepe ſunt ſedes gonorrhoeae III. 327.

Glandulae Littrii III. 327.

Glans penis: III. 326. ejus ſtructura V. 340. ſq. papillae tactiles in glande penis VII. P. II. eas adminiſtrandi modus 9. ejus corona *vid.* Corona glandis.

Glandes metallici in valvulo deglutiendi VII. 120.

Glandes *vid.* Suppoſitoria.

Glaſſ (*Chriſt. Phil.*) diſp. de ſanguinis circuitu II. 201.

Gloſſo-genio-pharyngaei muſculi I. 207. ſq.

Gloſſo-pharyngaei muſculi I. 208. 219. VI. 618.

Gloſſoſtaphylini muſculi VI. 618. fibrae in velo & uvula I. 214. actio I. 217. actio in deglutitione I. 207.

Glottis: ejus deſcriptio IV. 652. eam conſtituens vinculum III. 100. eam contrahentes muſculi VII. 35. ejus coarctatio concitat & auget ſpaſmum auriculae cordis dextrae II. 797. glottidis rima III. 100. IV. 694. hanc praecipue interni muſculi regunt IV. 695. rimam arctantes & comprimentes muſculi VII. 35. ejus ſecuritati quibus mediis proſpiciatur ne inter deglutiendum aliquid in eam depellatur I. 169. VII. 18.

Gluteus major VI. 539. burſa tendini ejus ſubjecta VII. 133. ea burſa p. n. liquore repleta viſa *ibid.*

Gluteus medius VI. 540. *minimus ibid.*

Goelickii (A. O.) Hiſtoria anatomiae II. 862.

Gomphoſis VI. 126.

Gonorrhoea: ejus ſedes ſaepe in glandulis Cowperi III. 327. aliquando in corona glandis VI. 784. gonorrhoeam comitantur, vel male curatam ſequuntur, & manent varii urinae meatus morbi & incommoda V. 51. aliquando cum calculo complicata eſt V. 52.

Gorn (*Chriſtian. Adam*) de Pituita VII. 373.

de Gorter: ſententia ejus de motu muſculari III. 442.

Gottſched (*Joh.*) de muſculorum motu III. 359.

Gourraigne (*Hugo*) de Natura & cauſis fluiditatis ſanguinis V. 777.

Graaf (*Regner. de*) ſolus cuniculorum ex ovo generationem ad dies & horas dimenſus eſt V. 145. ejus experimenta de ſucci pancreatici aciditate infida V. 146. dubia contra experimenta in cuniculis *ibid.*

Gracilis muſculus VI. 624.

Gravedo balneo vaporoſo & ſternutatorio ſanata IV. 42.

Grauel (*Joh. Phil.*) de ſuperfoetatione conjecturae V. 335.

Gravidae feminae anatome V. 283. gravidae canis brevi pariturae anatome VI. 738. in gravida fele quo modo ovula Graafiana fuerint reperta V. 149.

Gravida, lingua vitulina percuſſa filium peperit, cujus lingua in vitulinae molem increvit I. 100.

Graviditas menſtruis licet non praegreſſis V. 214.

Gravidarum puellarum exempla V. 203.

Gravidarum aliquot morbi explicantur III. 514. ſq. ſudores abdominis particulares gravidarum ex uteri perſpiratione explicantur VII. P. II. 437.

Gravidas motu egere V. 525.

Gravidarum uterus *vid.* Uterus gravidus.

Greſſum dirigentes muſculi VI. 529.

Grutzmacher (*Franciſc.*) de Oſſium medulla VI. 369.

Guajaci decoctum obeſis commendatur III. 129.

Gula *vid.* Oeſophagus.

Gunz (*Juſt. Godofr.*) de Oſcitatione IV. 715.

Gurgulio cum aſpera arteria a lexicographis male confunditur I. 181. *vid.* Uvula.

Guſtus quid? I. 143. eſt tactus ſpecies I. 142. ejus utilitas I. 162. ejus objectum non eſt ſapor ſed res ſapidae I. 151. cur in ore collocatum ſit I. 163. quasnam corporum proprietates percipiat I. 128. verum ejus organon ſunt papillae nerveae linguae I. 149. non fit in carne linguae I. 143. neque in ejus tunicis I. 145. ſq. non fit in nervis per linguae ſubſtantiam excurrentibus I. 146. non in tonſillis aut aliis linguae oriſque glandulis I. 146. nec in venis a lingua ad cor tendentibus ſecundum Platonem I. 147. non ope humiditatis cujusdam vomeri ingenitae ſecundum Cornelium Gemma 148. non in dentibus aut reliquis oris partibus ſecundum Euſtachium I. 149. vix ullus in parte ſuperiori & poſteriori linguae I 79. VI. 109. guſtus nullus ore aperto dormientibus I. 129.

Guſtus organi diverſa conſtitutio ad diverſas ſaporum ſpecies aliquid tribuit I. 155.

Guſtus organum cur multo ſubtilius organo tactus I. 128. *conf.* Sapor.

Guſtatorius nervus *vid.* Nervorum cranii par quintum & nonum.

Gutta ſerena: ejus felicem curationem non promittit propriae imaginis reflectio IV. 127. a lympha nervi optici pituitoſa produci poteſt VII. 410.

H.

Haemorrhagia quot modis fiat II. 583. haemorrhagiae naturales II. 528. obeſos ac voraces ſaepe levat III. 121. ab ipſo ſanguinis vitio oriri poſſunt ſine cauſa externa II. 584. ſq. ſanguinem pituitoſum variarum haemorrhagiarum cauſam eſſe VII. 411. ſq. a ſanguine agitato oriundas ſaepe periodicas eſſe II. 585. ſq. haemorrhagia quo modo lipothymiam producat VII. 310. haemorrhagia quolibet febris paroxyſmo accedente ſubpreſſa II. 586. haemorrhagicae diſpoſitiones exemplis probantur II. 585. haemorrhagiae inſignes aliquando ex parvis arteriis II. 584. lethalis ex ramulo arterioſo in ſuperficie manus V. 653.

Haemorrhagia narium: ſanguinem in illa excretum non eſſe ex ſinu falciformi II. 584.

Haemorrhagia uteri *vid.* Uteri morbi.

Haemorrhoidum fluxum tam virili quam feminino ſexui admodum familiarem eſſe III. 170. naturaliter in perfecte ſanis non obſervantur II. 583. eorum fluxum non temere eſſe provocandum III. 126. aliquando menſtruorum vices ſubplet V. 205. ad illum magis propenſi ſunt qui anguſtias in craſſis inteſtinis habent I. 458. haemorrhoides ab ani ſphinctere nimis anguſto I. 463. periodicae in femina V. 204. haemorrhoidalium motuum communio cum ſplenicis, hypochondriacis & ventriculi morbis III. 170. ſq. haemorrhoides virorum ſaepe producere ulcera fiſtuloſa V. 181.

Haemorrhoidalium vaſorum communio cum uterinis III. 152.

--- arteria multum dat veſicae urinariae ad proſtatam & veſiculas ſeminales III. 317.

Haemorrhoidalis vena interna I. 738. II. 545. III. 138. 196. 198. 224. aliquando in meſentericam inſeritur II. 545. III. 199. ad ſphincterem ani aliquando cum haemorrhoidali externa communicat III. 199. eam non communicare cum utero III. 200. communicatio haec cum utero in experimento viſa III. 350. eam copioſi amplectuntur nervi III. 200. inſigniter diametro aucta in viro haemorrhoidario & icterico III. 156.

Haguenot (*Henr.*) An vomitus faeculentus in paſſione iliaca ab antiperiſtaltico inteſtinorum motu I. 485. de nutritione III. 677.

Haller (*Alb. de*) de Ductu ſalivali Coſchwitziano I. 69. de valvula coli I. 595. de Ductu thoracico I. 793. de valvula Euſtachii II. 189. de vaſis cordis propriis II. 359. ſteratae de vaſis cordis obſervationes II. 381. de motu ſanguinis per cor II. 391. de nervi intercoſtalis origine II. 939. de arteriis venisque bronchialibus & oeſophageis III. 1. de nervorum in arterias inperio

IV.

IV. 425. de vaſis ſeminalibus V. 13. Hiſtoria nuperae diſſectionis feminae gravidae V. 281. experimenta quaedam circa corpus calloſum, cerebellum, duram meningem VII. 421.

Harmonia praeſtabilita: argumentum contra eam ex varietate vaſorum corporis humani II. 37.

Hartmann (*Phil. Jac.*) de Bile I. 411. dubia de generatione viviparorum ex ovo V. 135.

Harvejus circulum ſanguinis primus curatius adſeruit II. 295. problematis Harvejani de reſpiratione ſolutio IV. 686.

Havers (*Clopt.*) primus in axungiam articulorum inquiſiuit VI. 411.

Hebenſtreit (*Joh. Ern.*) de vaginis vaſorum II. 27. de arteriarum confiniis II. 35. de venis communicantibus II. 41. de arteriarum flexu II. 555. ſqq. de vaſis ſanguiferis oculi IV. 99. de mediaſtino poſtico IV. 517. funiculi umbilicalis pathologia V. 671. de capitonibus laborioſo partu naſcentibus. VI. 309. de Vermibus anatomicorum adminiſtris VII. P. II. 339. de dentitione ſecunda juniorum VII. P. II. 371.

Heiſter (*Laur.*) de valvula coli I. 553. Obſervationes medicae miſcellaneae VI. 709.

Helvetius an primus vaſorum pulmonalium inaequales amplitudines indicaverit VII. P. II. 265. differentias capacitatum in ventriculis & atriis cordis ſtudioſius examinavit VII. P. II. 266.

Hemiplegia quo modo oriatur III. 569. hemiplecticorum pulſus tum in latere ſano tum in paralytico aeque magnus eſt VII. 361.

Henninger (*Joh. Sigism.*) de Meſenterio I. 719.

Henſing (*Frider. Wilh.*) Diſſert. de Peritonaeo I. 349. Obſervv. binae de omento & inteſtino colo I. 403. de apophyſibus oſſium VI. 267.

Henrici (*Robert. Steph.*) Deſcriptio omenti anatomica cum icone nova VII. 479.

Hepar: ejus geneſis in embryone V. 118. ſitus mutatus VII. 152. in inſpiratione prorſus tegi a coſtis nothis VI. 671.

--- ligamentum dextrum & ſiniſtrum I. 375. coronale *ibid.* latum ſeu ſuſpenſorium *ibid.* VII. 517. ligamentum hepaticorenale duabus plicis aliquando compoſitum eſt VII. 492. rotundum I. 378. de rotundo *vide* plura ſub titulo *Umbilicale ligamentum.*

--- portae quid? III. 185. portas in cadaveribus variare III. 211.

--- tunica extima a peritonaeo I. 375. ſqq. tunicae hujus vaſa ſanguifera, lymphatica, & nervi I. 377. nullos habet ramos a cava VII. 516.

--- ſtructura III. 547.

--- in iis partibus quas rami venae portarum perreptant tunica inveſtitum eſt III. 140.

--- hepaticus ſanguis quo modo differat a reliquo ſanguine venoſo I. 655.

I. 655. ex quibus vaſis ſanguinem recipiat II. 578. numerus ramorum venae portarum ſuperat numerum venae cavae in hoc viſcere III. 232. VII. 517. liquor in venam portarum injectus totum hepar tinxit III. 547. limites cujusque generis vaſorum in hepate obvii injectionibus determinare difficile eſt VII. 516. ſanguinis progreſſum per cavae hepaticas propagines ſanguis arteriarum hepaticarum juvat III. 18.

--- quid patiatur inter oſcitandum IV. 737.

--- an premere poſſit diaphragma ligamento ex vena umbilicali abſciſſo V. 599.

--- quid ad negotium ſanguificationis conferat III. 261.

--- ejus examen in vacuo IV. 589.

--- quare ſanguis in venae cavae capillamenta, bilis vero in ductus biliarios ſecedat II. 546.

Hepaticus ductus: ejus radices quinque in cane III. 233. diameter III. 20. VII. 522. an valvulas habeat II. 117. vaſa numeroſa habet ab arteria hepatica VII. 520. orificium ejus valvulae ſpeciem producit III. 234. ſq. tempore inſpirationis maxime turget in experimento III. 233. pori bilarii & arteriae hepaticae ſurculi paribus divaricationibus & in communi vagina excurrunt cum venae portarum propaginibus II. 546. maximam nervorum copiam habet a plexu hepatico II. 888. cur tantum nervorum numerum acceperit II. 899. liquore intus irrorari contra bilis acrimoniam VII. 521. monſtroſa ejus conſtitutio ex hepate bovino deſcribitur *ibid.* ubi fibrae motrices viſae VII. 522. materia lapidea in illo reperta *ibid.*

Hepatico-cyſticos ductus in homine non reperiri III. 265. qui adſeruntur VI. 38.

Hepatis vaſa fetui propria delineata V. 476.

Hepaticae arteriae III. 16. VII. 507. antiqui eam cognoverunt VII. 512. ejus ortus VII. 513. rami ab ea exeuntes ante quam hepar ingrediatur *ibid.* ejus diameter VII. 514. externe innumeris ramuſculis ſe ipſam contexit VII. 515. tribus ramis hepar ingreditur *ibid.* numerus ramorum ad numerum venae portarum *ibid.* copioſis ramis in membrana hepatis diſtribuitur VII. 516. capſulam Gliſſonii in primis comitatur VII. 518. earum varietates VI. 775. ſq. VII. 487. ſaepius duplex II. 523. 938. hepatica arteria prima ex hepatico-gaſtrica prima III. 17. altera ex ſecunda III. 18. tertia *ibid.* hepatica arteria inferior ſeu dextra aliquando oritur ex meſeraica ſuperiore I. 378. III. 221. VI. 775. VII. 487. 514. arteriae hepaticae rami cyſtici III. 220. hepaticam dextram obnubens plexus nervoſus. IV. 432.

Hepatica arteria quosdam venae portarum ramos comitatur I. 13. hepa-

hepaticae arteriae & pori bilarii ſurculi paribus divaricationibus & in communi vagina excurrunt cum venae portarum propaginibus II. 546. hepaticae arteriae ſanguinem non reddi cavae ſed portarum venae III. 232. hepatica arteria repleta in interioribus quoque hepatis partibus ramos ſuos oſtendit III. 549. ipſam hepatis carnem non ingredi VII. 523. ejus uſus *ibid.* hepaticam arteriam etiam aliquid ad bilis materiam conferre III. 549. nihil ad bilem conferre VII. 523.

Hepatica vena minor Winslowii III. 219. vena magna Galeni quid? V. 644. hepatis rami venoſi a portarum vena magis per ſimam ejus ſedem a cava vero per gibbam excurrunt III. 192.

Hepatis nervi a plexu ſtomachico II. 933.

--- glandulae duae in cava ejus parte poſitae lymphatica recipientes III. 528.

--- *lymphatica* VI. 782. VII. 134. 517. 520. vena cava inflata nullum vas lymphaticum adparet III. 232. hepatico ductu inflato lymphatica adparent *ibid.* hepaticus ramus arteriae coeliacae non videtur ſufficere ad tantam lymphae copiam ad hepar ferendam quantam lymphatica ejus capiunt III. 149. hepatis lympha an ex arteriis an potius ex venis ſecedat III. 264.

--- capſula Gliſſonii *vid.* Capſula Gliſſonii.

--- perſpiratio hepatis VII. P. II. 433.

--- *morbi*: pleroſque morbos eſſe a lenta ejus perſpiratione VII. P. II. 433. hepar vicinis partibus p. n. adnatum VI. 641. obſtructiones cur a ſanguine pituitoſo III. 549. ſcirrhus plerumque a viſcoſitate bilis I. 424. a calefacientibus in acutis adhibitis III. 671. hepar obſtructum & induratum icteri cauſa II. 727. 743. hepar ſcirrhoſum & durum in ictero nigro I. 429. hepar non ſemper eſſe hydropis cauſam III. 550. VII. 244. hepar admodum parvum, corrugatum quaſi ac durum repertum in femina quae hydrope olim laboraverat VI. 714. hepar admodum parvum in fetu hydropico VII. 487. hepar durum, foris ubique tuberibus aſperum, intus utcunque ſanum in hydropica VII. 143. hepar inflammatum viſum VI. 742. lobus ſiniſter pure plenus III. 74. exulceratum cum alio ulcere in femore VI. 718. in quibusdam animalibus ſaepe vermes continet I. 418.

Hepaticus fluxus non eſt ab hepate II. 588.

Hepatico-gaſtrica arteria III. 221. prima ex coeliaca III. 17. ſecunda ex eadem III. 18.

Heriſſant (*Franc. David*) An ab inpulſu ſanguinis in arteriam pulmonalem inſpiratio ſpontanea IV. 539. an ſecundinae fetui pulmonum praeſtent officia V. 521.

Hermaphroditica inſecta V. 111.

Hernia: ſpasmus ſingularis in manu & digitis hernioſi II. 957.
--- inguinalis ilium inteſtinum continentis exemplum VI. 694.
--- *ſcrotalis* ingentis exemplum I. 357. ſub nixu corporis ſubito orta II. 957. ſolam pinguedinem continens VI. 784. non cum teſticuli deſcenſu ſcrotino miſcendam eſſe IV. 6.
Hernia veſicae urinariae *vid.* Urinariae veſicae morbi.
--- umbilicalis *vid.* Omphalocele.
--- ſacri lacrumalis *vid.* Sacri lacrumalis hernia.
--- aquoſa *vid.* Hydrocele.
Herophilus nervos capitis primus adcurate perſecutus eſt II. 942.
Hyghmorus nec primus vidit nec adcurate deſcripſit antra ſua IV. 32. ejus ſententia de formato fetu rejicitur V. 71.
Hilſcher (*Sim. Paul*) de Unico in homine reperto rene III. 353.
Hintze (*Chriſtian Jacob*) Examen anatomicum papillarum cutis tactui inſervientium VII. P. II. 1.
Hippocrates: ejus ſcientia mere fuit practica I. 37. vaſa lactea obſcure indicavit I. 609. liber de corde an ſubpoſititius? II. 53. 394. VII. 37. ejus librum *περὶ ὀςέων φύσιος* ſeu *περι φλεβων* poſt Herophilum ſcriptum eſſe II. 942. inventor ſpleniorum celebratur III. 29. circulationem ſanguinis forte ſuboluit III. 133. perſpirationem inſenſibilem ipſi cognitam fuiſſe III. 592. 626. VII. P. II. 408. ut & membrana tympani IV. 339. 373. panſpermiam docuit V. 80. an ſceletum templo Appollinis Delphico conſecraverit VI. 54. omentum minus forte cognitum habuit VII. 489.
Hircum olentes homines II. 685. ſq.
Hoffman (*Maur.*) Ductum thoracicum in lynce vidit I. 613.
Hoffmann (*Phil. Dan.*) Elaſticitatis effectus in machina humana III. 655.
Homohyoideorum muſculorum actio in oſcitatione IV. 729.
Horne (*Ioh. van*) de Ductibus ſalivalibus I. 1. quid lacteorum vaſorum invento Aſelliano addiderit. I. 613. quo modo nervos capitis numeraverit II. 943.
Horror in quibusdam animi adfectibus unde oriatur II. 802. poſt coitum unde III. 514.
--- puerperarum non eſt certum ſignum fetus in utero mortui VI. 328.
Humeri oſſis apophyſes VI. 296. apophyſes in ſceleto cujusdam adulti adhuc epiphyſes fuerunt VII. 136. ejus foramen pro tranſitu arteriae VI. 378. ſummi articulus & glandulae VI. 418. articulus cum ulna & radio ejusque glandulae VI. 419. humeri os magna ſui parte deſtructum ſed renatum viſum VI. 461.
Humeralis Arteria ex thoracica II. 771. 773.
Humorum noſtrorum ſingulae guttulae ſphaericae ſunt II. 736. eorum efformatio omnimoda non perficitur

ficitur in colis II. 743. nec tamen ſanguini formaliter inſunt II. 744. humores omnes eſſe nutricios III. 696.

Humorum craſſitudo & denſitas differunt V. 780. eorum fluiditas quibus reſtituenda V. 796. quaenam unionis ſpecies humoribus animalibus naturaliter competat VII. 396. digeſtio humorum quid? VII. 397. humores, deſtructa unione, in pituitam concreſcunt *ibid.* humorum noſtrorum viſibilem & perfectam ſubſtantiam gelatinoſam eſſe VII. 398.

Hyaloidea membrana *vid.* Vitreum humorem obducens membrana.

Hydatides: earum lympham ad ignem non coagulari V. 392. in plexu choroideo cerebri viſae II. 845. in gangliis II. 904. in amnio ſuillo V. 106. ad tubas & ovaria V. 284. earum in ovariis ortus V. 392. in funiculo umbilicali viſae V. 371.

Hydrargyri uſus in valvulo rejicitur I. 549.

Hydroceles in cadavere viſae exemplum VI. 695.

Hydrocephali: eorum icones VI. 695. hydrocephali, pro monſtro male habiti, icon. VI. 320. hydrocephalorum hiſtoriae, in quibus animae facultates integrae manſerunt VII. 437. hydrocephalici pueri hiſtoria cujus cerebellum fuit induratum. VII. 452. hoc morbo laborantes cur diu a ſymptomatibus inmunes II. 820. hydrocephalus externus partus laborioſi cauſa VI. 317. *interni* variae ſpecies VI. 319. partus laborioſi cauſa *ibid.* fetus hydrocephalo interno praeditus, difficulter quidem, ſine tamen obſtetricis auxilio natus VII. 137. ejus ſectio anatomica in infante recens nato *ibid.*

Hydrops: in eo cur viſus acies inminuta II. 905. cauſam non ſemper eſſe in hepate III. 550. VII. 244. oritur ſanguine multo extracto magnaque dein aquae copia ingurgitata III. 670. in eo non peccare ſanguinis denſitatem *ibid.* hydrops a valvulis cordis oſſificatis II. 107. anaſarcam a lympha muſculorum pituitoſa oriri poſſe VII. 411.

--- hypogaſtrii tumor in femina hydropica VII. 141.

Hydropicorum ſectiones anatomicae I. 681. 816. VII. 140. 483. meſenterii glandulae ſolito majores in hydropico repertae I. 660. in hydropici receptaculo chyli calculus repertus I. 670. ſq. in cadaveribus hydropicorum frequenter pſeudomembranae reperiuntur III. 316. ab hydrope curatae & aliquamdiu poſt alio morbo denatae ſectio VI. 713. de vitiis lienis in hydropicis *vid.* Lienis morbi. Fetus hydropicus, fere maturus, ſub partu extinctus VII. 483.

Hydropicorum aquae quo modo a purgantibus evacuentur II. 129.

Hydrops tinctura fraxini ſanatus VII. 140.

--- paracenteſis in quibusnam inſtituenda I. 830. hydrops paracen-

centeſi fugata recidivans VI. 749. in hydropica venter crepat, lymphamque eructat, non tamen ſanatur hydrops VII. 151.
Hydrope demortuorum cadavera incongrua ſunt ſceletopoeiae ſubjecta VI. 62.
Hydrops uteri *vid.* Uteri hydrops.
--- membranarum fetum involventium VII. P. II. 323.
Hydrops lacteus quo modo oriri poſſit I. 669.
Hydrops ſacci lacrumalis *vid.* ſacci lacrumalis hydrops.
Hygrophthalmici canales IV. 89.
Hymenis ex fetu icon VII. P. II. 337.
Hyoides os: ſynonyma I. 101. eſt verum os 102. figura *ibid.* ſitus *ibid.* & 104. nexus cum vicinis partibus 102. 203. partes 102. baſis 103. cornua *ibid.* oſſicula triticea ſeu graniformia *ibid.* ligamenta 104. 203. uſus 109. ſq. muſculi I. 203. 105. ſqq. muſculorum uſus I. 108. ſq. os hyoides in deglutitione moventes muſculi VII. 207. in oſcitatione deorſum fertur & ad ipſum maxilla ſingulari motu producitur IV. 721. a dygaſtricis muſculis in deglutitione non tolli IV. 722.
--- adpendicum cartilaginearum luxatio unde deglutitio inpedita VII. 25.
Hyopharyngaei muſculi VI. 618. eorum officium I. 219.
Hyoſciami ſemen vermes ex dentibus & auribus expellere IV. 326.
Hyothyreoidei muſculi actio IV. 697.
Hyperopharyngaeus Santorini vix peculiaris eſt muſculus I. 215.
Hypochondrii ſiniſtri *dolor poſt paſtum* curſum inpediens III. 34.
Hypochondriaci morbi cauſa II. 960. ſymptomata II. 960. de phlogoſi in hoc morbo II. 807. cur acida hypochondriacis infeſta III. 160.
Hypochondriacos omnes eſſe plethoricos III. 174.
Hypogaſtrii tumor peculiaris in femina hydrope & iſchuria laborante VII. 141.
Hypogaſtrica arteria II. 530. ejus ramus in renes inſertus viſus VI. 678.
Hypogaſtricae venae: earum rami II. 539. aliquando dant emulgentes III. 286.
Hypopyon in oculo viſum VI. 708.
Hypothenar manus VI. 599.
Hyſtericorum ſymptomatum ſedem in nervis eſſe IV. 441. iſchuriae & urinae pollentes unde IV. 442. cephaleae unde IV. 445. caligo, paroxyſmis hyſtericis inſtantibus accedens, explicatur VII. P. II. 181. in hyſterica mortua nervorum ganglia hydatidibus obſeſſa II. 904.

I.

Ialapae reſina a ſaliva non ſolvitur I. 774.
Icterus: color flavus an a bile I. 425. argumenta, icterum non eſſe a bile negantia, rejiciuntur *ibid.* an citra laeſionem organorum bilem ſecernentium I. 428.

I. 428. quo modo oriatur a magna animi perturbatione I. 424. cur a purgante, in intermittente propinato, icterus fiat II. 907.
Icteri nigri cauſa I. 429.
--- ictericis an viſio flava IV. 131. eorum urina qualis I. 426. oſſium color luteus VI. 246.
--- a bilis viſcoſitate I. 425. ab hepate indurato II. 743.
--- in fetu a matre hoc morbo laborante VI. 246.
--- ictero demortuorum cadavera incongrua ſunt ſceletopoeiae ſubjecta VI. 62.
Ideae: earum diviſio IV. 449. ſq. cauſae occaſionales IV. 453. ideas in anima excitari eo vividiores, quo fortior eſt fibrarum cerebri ſucculſio IV. 455. fibram cerebri unicam excitandae unius tantum rei ideae deſtinari IV. 459. 461. ſuccuſſiones earundem fibrarum, licet tono diſcrepent, ideas non natura diverſas, ſed easdem ſemper menti referre IV. 460. ideas natura diverſas a diverſarum fibrarum ſuccuſſionibus poſſe excitari, quae tono plane ſimiles ſunt *ibid.* de idearum efformandarum ratione IV. 465. ideam quamlibet ſimplicem a diſtincta ſua propriaque fibra excitari *ibid.* ideas compoſitas ſeu complexas diverſis totidem fibris excitari, quot ideas ſimplices complectuntur IV. 466. ideas omnes factitias ex communicatis ideis mediate produci IV. 467. ad idearum compoſitionem quid requiratur IV. 468. ideas, quae fiunt per ampliationem & diminutionem ad compoſitionem reducendas eſſe IV. 469. ſq. ad idearum diviſionem quid requiratur IV. 471.
conf. Anima *item* Cerebrum.
Jecur *vid.* Hepar.
Ignis pituitam reddit ſpiſſiorem VII. 379.
Iliaca paſſio: ejus definitio I. 483. 488. nomen etiam competere craſſorum inteſtinorum morbo VII. 114. ſynonyma I. 488. differentiae I. 489. ſigna I. 540. ſqq. cauſae I. 483. 489. 508. iliacum morbum niſi congenitum ante pubertatem non fieri, quod Hippocrates dicit, videtur experientiae contrarium VII. 115. prognoſis I. 543. ſymptomata eorumque explicatio I. 488. 529. iliacus morbus experimento imitatus I. 505. ejus ſymptomata ex ſtructura valvuloſa ingreſſus ilei in colon melius explicari poſſe quam ex ejus ſtructura annulari I. 561. faecum verarum ejectio rariſſime contingit in hoc morbo I. 568. vomitus faeculentus in eo an ab antiperiſtaltico inteſtinorum motu I. 485. cur enemata per ſuperiora ejiciantur I. 525. cur ſuppoſitoria ſuperiora petant I. 526. inflammatorius inteſtinorum tumor quo modo oriatur in ileo I. 531. unde in quibusdam facile revertatur I. 567. indicationes curatoriae I. 547. a

ſcirrho inmedicabilis eſt I. 544. an hydrargirum conveniat ſi ab invaginatione oritur I. 549. parotides ileo ſupervenientes quid indicent I. 546. *conf.* Inteſtinorum invaginatio *item* Valvulus.

Iliacarum arteriarum ortus ac progreſſus II. 529. dextra cur venam cavam ſupergrediatur *ibid.* cur id non fiat in marſupiali americano *ibid.*

Iliaca arteria interna vid. Hypogaſtrica arteria.

Iliaca arteria externa aliquando emittit emulgentem III. 284.

Iliacae venae *vid.* Hypogaſtricae.

Iliacus muſculus internus VI. 537. portio ab eo abſcedens in cadavere viſa VI. 108.

Iliacus muſculus externus VI. 541.

Ileum inteſtinum: ilei ac craſſorum nexus qua encheireſi patefiat I. 588. quo modo ad craſſa firmetur I. 586. ſq. inſertio in colon I. 597. VII. 165. haec falſo depicta ac deſcripta eſt a Bianchi I. 573. pene ſemper ad ſiniſtram ſedi coli inſeritur I. 597. cur colo a latere adnexum eſſe debeat I. 588. linea ſuperior in transverſam mutata ad colon accedit I. 598. conicum eſt ad inſertionem ſuam in craſſa uti Bianchi pinxit I. 601. ante ingreſſum in colon minimi diametri viſum VII. 189. muſculoſam & extimam tunicam demittit, ante quam craſſa ingreditur I. 601. in loco inſertionis nullum adeſſe peculiarem muſculum VII. 165. verſus ejus finem non magnus glandularum numerus eſt VII. 101. pauciores habet papillas ac reliqua inteſtina I. 444. in herniam delapſum viſum VI. 694. anulo muſculorum abdominis fibris adnexum in anatome viſum eſt III. 349.

Ileocolicae arteriae ramus princeps ad inſertionem ilei in craſſa I. 598. rami ad peritonaeum VII. 485.

Ilium oſſa V. 379. eorum inaequalitates VI. 293. foramina pro tranſitu vaſorum VI. 378. in adulto quodam epiphyſibus adhuc fuere inſtructa VII. 136.

Imaginatio quid? IV. 449. multum facit ad ſaporis gratiam I. 158. fibrarum cerebri ſuccuſſiones, quibus imaginatio fit, debiliores eſſe fibrarum ſuccuſſionibus, quibus ſenſatio excitatur IV. 458. *conf.* Idea.

Inappetentia a pituita ventriculi oriunda VII. 409.

Inciſivus muſculus VI. 106. 597.

Inciſura masloidea oſſis temporum VI. 276.

Incrementum quid? III. 684. incrementi & obeſitatis differentia III. 716. quo modo fiat II. 337. pendere a majori vaſorum extenſione, majorique ſucci nutritii adplicatione III. 710. incrementum variat pro varia ductilitate vaſorum *ibid.* quam diu duret III. 712.

--- incrementi praematuri exemplum III. 711.

Incus

Incus auditus oſſiculum: ejus deſcriptio IV. 379. icon IV. 367. 368. 397. ejus duo crura IV. 343. ſq. apophyſes VI. 278. uſus IV. 381. defectus IV. 320.

Inebriatio a fomentis ſpirituoſis III. 644.

Infantes fere ſemper pinguiores ſunt III. 110. recens nati clamores unde IV. 350. eos non bene audire *ibid.* pituita magis conflictari VII. 378. cur id fiat. VII. 301.

Inflammationis exitus in deſquamationem III. 482.

Inflammatorius inteſtinorum tumor quo modo oriatur in ileo I. 531.

Infraorbitale foramen VII. P. II. 72.

Inguinales glandulae *vid.* Glandulae inguinales.

Inhalantia vaſa venas eſſe III. 629. horum vaſorum numerus III. 634. ſphincterulorum in illis uſus I. 622. ſq. ea ab extima ſuperficie corporis ad omnem interiorem partem ducere III. 627. eorum exiſtentia experimentis probatur I. 789.

Inhalatio: III. 627. Hippocrati & Galeno nota fuit III. 602. VII. P. II. 439. per quasnam vias humores intrare poſſunt & quo modo illos admittunt III. 630. inhalatio per poros non eſt explicanda III. 631. ſed per vaſa fit *ibid.* & 633. per venas VII. P. II. 438. catalogus experimentorum quibus reſorbentia vaſa demonſtrantur VII. P. II. 439. ſeq. inhalationem quoque fieri in interioribus membranis III. 629. quid requiratur in humoribus ut ſubintrent & varietates horum humorum III. 640. an aër purus vel vaporibus inpraegnatus a venis bibulis cuticulae hauriatur VII. P. II. 441. ſeq. inſpirationis venarum ratio formalis VII. P. II. 442. inſpirationis actus quo tempore fiat VII. P. II. 443. de inſpiratione viſcerum in univerſum VII. P. II. 444. differentia inſpirationis per cutim ac viſcera *ibid.* aquam frigidam nullius animalis corpori ſubintrare, ſed tepidam III. 634. inſpirationis quantitatem inſignem eſſe III. 603. cur inhalatio poſt mortem ceſſet III. 630.

Injectiones anatomicae: Ruyſchianas ceram non ingredi II. 533. earum varia artificia deſcribuntur VI. 26. ſqq. eam in vacuo adminiſtrandi methodus VI. 30. inſtrumenta hujus injectionis icone declarantur VI. 43. formula injectionis VI. 85. continuitatem vaſorum minimorum in variis partibus injectiones demonſtrant II. 154.

Innominata glandula *vid.* Lacrumalis glandula.

Innominata oſſa: eorum deſcriptio V. 379. cartilagines VI. 258. apophyſes VI. 293. foramina pro tranſitu vaſorum VI. 378. ea in gravidis & parturientibus diduci V. 382.

Inſectorum cornea IV. 125. eorum aliqua hermaphroditica ſunt V. 111. eorum cerebrum VII. 436.

Inſipientia & *inſipidum* quid? I. 152. ſq.
Inſpiratio inſenſibilis *vid.* Inhalatio.
Inſpiratio reſpirationis pars: inſpirati aëris quantitas indagatur per experimentum & calculum IV. 626. quo modo fiat IV. 622. inſpiratio prima infantis a qua cauſa fiat IV. 546. 674. inſpirationem produci a muſculis intercoſtalibus internis IV. 625. tempore inſpirationis ſpatia intercoſtalia adaugeri IV. 664.
Inſpiratoriae vires cur modo praepolleant exſpiratoriis & contra IV. 669.
Inſpiratio ſpontanea an ab inpulſu ſanguinis in arteriam pulmonalem IV. 543.
--- voluntaria cur ſpontaneae praepolleat IV. 536.
--- inſpiratio fere abolita ab irritata meninge II. 819.
conf. Sternum.
Integumenta corporis humani generatim conſiderantur III. 476. VII. P. II. 36. duplex in iis ſecretio 40.
Intercoſtales arteriae: earum origo & decurſus II. 522. cur ortum fere habeant perpendicularem II. 527. cur ſegmenta circuli conſtituant VI. 773. inmediate a perioſtio coſtarum inveſtiuntur II. 522.
Intercoſtales arteriae ſuperiores II. 762. ſuperior in dextro latere unica viſa, in ſiniſtro vero duae diſtinctae *ibid.* longe plerumque ſunt ex ſubclavia III. 6. VII. 484. dextra ex ſubclavia, ſiniſtra non item, egredi viſa II. 937. ſurculi ad medullam ſpinalem & dorſi carnem II. 763. arteriae ad mediaſtinum poſticum IV. 523.
Intercoſtales arteriae inferiores ſeu aorticae: earum ramus ad medullam ſpinalem & dorſum II. 763. ad mediaſtinum poſterius IV. 520. 523. ad pericardium poſterius IV. 523. ad aortam & oeſophagum *ibid.*
--- *inferior quinta* dextri lateris plerumque dat bronchialem dextram III. 4.
Intercoſtalis venae ſuperioris ramus bronchialis III. 8.
Intercoſtales muſculi: eorum deſcriptio IV. 534. 655. eorum actio IV. 534. internos & externos non iisdem uſibus inſervire IV. 668. eorum actionem partim eſſe voluntariam partim ſpontaneam IV. 537. internos producere inſpirationem IV. 625. quinam debeat eſſe angulus, ut minima fibrarum intercoſtalium tenſione pectus maxime amplietur IV. 639.
Intercoſtalis nervus *vid.* Nervus intercoſtalis.
Interoſſei manus muſculi VI. 627. 729.
Interoſſei pedis muſculi VI. 558. 573. 628. 734.
Interſcapularis arteria ex thoracica II. 771. ſq.
Interſpinales muſculi VI. 620.
Intertransverſales VI. 620.
Intervertebrales VI. 620.

Inteſti-

Inteſtina: eorum in fetu ortus III. 533. V. 118. conſtitutio in fetu perfecto VII. P. II. 330. eorum deſcriptio VII. 72. 215. conditiones naturales qua encheireſi optime doceantur I. 442. eorum ſitus depravatus VII. 152. ſtabilimenta & nexus I. 449. diviſio I. 476. ſubdiviſio mala & inutilis eſt VII. 72. 163. humana cur adeo longa VII. 85. longitudo in cuniculis I. 340. eorum tractus diverſis locis diverſas ſaepe amplitudines habent VII. 106. a contentis ſuis compactis hinc inde diſtenduntur in ſaccos *ibid.* inteſtino tenui, in experimento, compreſſo, mira oritur expanſio III. 662. craſſorum ambitus internus I. 448.

